Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30288
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

Hactenus de vita et de miraculis beati viri pauca perstrinximus. Superest ut ad alia transeamus. Si quis denique puro corde plura quesierit legat librum ad Karolum regem francorum de virtutibus eius scriptum. sicque desideratum in eo magis inveniet. Nos ista dixisse sufficiet.

Passio sancti Antimi episcopi et martiris.

SERGIUS Terentianus vir illustris secundo urbis prefectus. proninam galieni augusti neptem. natam ex gallia. filiam eius sortitus est uxorem. ex qua nati sunt claudius pompeius. et lucina. quam tradidit in coniugium faltoni piniano. Qui missus est cum hanc haberet uxorem proconsul asye acceptis codicellis a diocletiano et maximiano. Maximianus augustus cuius consiliarius ceremon nomine sacrilega mente perversus. vario penarum genere dum interimeret christianos a demonio arreptus. de carruca publice corruens per multa horarum spacia a diabolo vexatus. invocans sanctos quos interfecerat exspiravit. Videns hoc pinianus nimio pavore correptus incidit in egritudinem. ita ut desperaretur vita eius. Lucina vero uxor eius videns eum pro illo hoc incurrisse qui christianorum fuerat persecutor: requisivit confessores christi qui tenebantur in vinculis. et fecit eos occulte adduci ad se. inter quos erat antimus presbiter et sisinnius diaconus. Ceteri vero fuerunt religiosi viri. maximus. bassus. fabius. diocletianus. florentius. Quibus dixit. facite virum meum de infirmitate evadere. et honorabo vos divitiis. et liberos abire faciam. Cui antimus. Tu si vis inquit virum tuum a morte eterna et infirmitate hac evadere. hortare eum fieri christianum et recuperabit sanitatem. Que ingressa ad eum ait. Quantocumque medici te viderunt: evadere te nullatenus posse testantur. Inveni vero viros qui sine mercede si volueris fieri christianus. sanitatem tibi et vitam pollicentur eternam. Audiens hec vir eius dixit. Grandis est stulticia. qui non credit hunc esse verum deum. qui desperatos saluti restituit. et revocat ad vitam quibus iam parata est sepultura. Tunc lucina introduxit antimum presbiterum et sisinnium diaconum. Cumque introissent. obtulit eis sedem in cubiculo ubi pinianus iacebat semivivus. Illi autem dicebant. Non sedere. sed aliquid agere ut curreris venimus. Quibus pinianus dixit. Agite ergo aliquid ut evadam hos quibus affligor dolores. Cui antimus. Cessavit inquit hic ars medicorum. ubi sola virtus christi occurrerit. Pinianus dixit. Succurrat mihi per vos christus. ut possim credere ipsum esse deum omnipotentem. Antimus respondit. Prepara pectus tuum ut credas ea que dixero tibi. Pinianus dixit. Ego nisi crederem. non fecissem vos ingredi. Dicit ei antimus. Audi ergo quem credas. et quem colas. Unus est deus qui fecit celum et terram, mare. et omnia que in eis sunt. Hic deus ex ore verbum virtute plenum protulit. quo verbo celi firmati sunt. et spiritu oris eius omnis virtus eorum. Aque congregate sunt aque maris. quasi in utre. et posite quasi in thesauro abyssi. Deus autem quem oportet te credere. cum sit trinus. unus est. Pater qui eructavit ex corde verbum bonum. filius est sermo quem eructavit. a quo facta sunt omnia que sunt. Spiritus sanctus quoque ipse a quo cuncta animantur. Omnium autem creaturarum deus hominem sibi similem fecit. cui legem imposuit: quam si servasset vitam eternam consequeretur. Sed invidens angelus suasione sua fecit. ut legem transgrederetur impositam. Unde factum est ut deveniret in mortem. et ideo hoc verbum per quod facta sunt omnia quod est filius dei. dignatus est homo fieri. nascendo ex virginis utero. Qui homo potestatem habens integram patris omnipotentis. omnia diaboli temptamenta exsuperans pervenit usque ad lignum crucis. ut lignum prevaricationis ligno excluderet passionis. et vitam quam homo perdiderat moriendo pro peccatoribus repararet. Hic ergo tercia die surrexit a mortuis. et discipulis suis per dies xl. apparens. die quadragesima in celum ascendit. Stupentibus autem eis. apparuerunt angeli dicentes. Quid statis aspicientes in celum. Hic ihesus qui assumptus est a vobis in celum. sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in celum. In huius ergo nomine manum imponimus. credentes te per eius virtutem salvandum. Tunc pinianus expansis manibus dixit. Christe quem numquam scivi quis esses. nisi modo ex ore istorum. antequam fiam christianus confiteor: et credo per eum mihi restitui sanitatem. quam recuperare mihi medici desperant. Tunc prosternentes se antimus et sisinnius oraverunt. subitoque splendor apparuit. et dimidie hore spacio manens paulatim abscessit. Surgentes autem dixerunt ad pinianum. Surge quia visitavit te deus christus filius dei vivi. cui credidisti. Qui exsurgens sedit in lectum. et pedetemtim descendens movebatur incolomis et dicebat. Verus deus tu es christe. qui me desperatum incolomitati restituisti. Vocantesque eos qui erant in carcere. maximum. bassum. diocletianum. et florentium simulque orantes. docuerunt pinianum et lucinam coniugem eius sermonem veritatis per septem dies. et omnes qui pertinebant ad familiaritatem eius. Administrationem autem officii habuit post recuperatam sanitatem per annum. in quo spacio omnes christianos absolvit a metallis. et ergastulis. et custodiis. et ad se adduxit. Quibus omnibus secundum doctrinam antimi et sisinnii pedes lavans. osculabaturque pedes et manus eorum. et conferens eis sumptus. datisque vehiculis ad propria remittebat gaudentes. Sisinnio autem diocletiano et florentio. dedit iuxta auximantiam predium. in quo cum aliis multis per annos tres in dei laudibus commorantes. hoc ordine ad martirii palmam pervenerunt. Erat conventus gentilium apud auximum. qui dum sacrificia demonibus offerunt. responsa acceperunt. quod nisi sisinnium diocletianum et florentium immolassent. dare responsa non possent. Trahuntur ergo a populo lapidibusque obruti. et sub ipso lapidum aggere relinquuntur. Corpora ipsorum christiani post abscessum gentilium. ibidem sepelierunt. Antimus autem presbiter non longe ab urbe via salaria

E. v. kal. mai.